



**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in  
co[n]uentu Noremburgensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,  
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab  
eodem legato|| ...**

**Hadrian <VI., Papst>**

**Noremburgæ, 1523**

**VD16 K 320**

62 Qvo Pacto Ecclesiasticorvm officiales ac suffecti, & ipsi laicos ad  
ecclesiasticoru[m] tribunal in ius trahere conentur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)



in itinera, procuratores, proque impetrandis & redimendis  
missionum literis, necessario expenderit. Adde & neglectas  
rum operum aestimationem, iam tandem nulliter & inique  
emissos iudiciarios processus persolvere, atque ere non immo  
dico coactus licet pensare. Namque id si forte recuset, anathe-  
matis praesto est gladius, hoc ei minantur iudices ecclesiastici  
fulmen, ni persolutis vocationum literis, habendi libidinem  
ipsorum satiauerint. Ita afflicto additur afflictio. Neque iuris  
ratio, quae temere in ius vocato, refundendas dicitat expen-  
sas, a iudicibus his curatur quicquam; immo iudiciarius hic eorum  
ordo, ex diametro, quod aiunt, cum iuris bonique & aequi or-  
dine pugnat. Eum tamen iudiciorum ordinem, non ob aliud,  
quantum coniectura assequi licet; haecenus ita religiose ob-  
seruarunt, quam ut plurima actorum turba per hoc ad eorum al-  
liceretur tribunal. Ita semper iniquum, ex re, quae merito des-  
bebat esse aequissima, student facere lucrum.

#### QVOMODO NOVAE PER VIOLENTIAM

instituantur decimarum praestationes.

- 61 Item etsi laici per multa annorum curricula de certis eorum  
prediis, neque maiores neque exiguas, ut vocant, praestiterint de-  
cimas, tamen per ecclesiasticos iudices, apud quos iniquis li-  
tigant conditionibus, auctoritate iudiciaria, ita eis fit nego-  
cium, ut aut petitas iudicio decimas, siue quidpiam aliud est,  
quod ab eis exigitur, praestare, persolvereque, aut excommunica-  
tionis poenam ferre, necessum habeant. Neque hoc temere. Nam  
etiamsi a sententia quantumvis iniqua Romam appellauerint, non  
eos fugit quam onerosus atque dispar sit & illic litium euentus.

#### QVO PACTO ECCLESIASTICORVM

officiales ac suffecti, & ipsi laicos ad ecclesiasticorum tribunal  
in ius trahere conentur.

- 62 Ad haec omnia personae ecclesiasticae nedum ipsae per se  
laicos, quibus dictum est, ac similibus casibus, ad ecclesiasticos  
eos trahunt iudices, verumetiam ecclesiasticorum officiales,



suffecti, procuratores, domestici, famuli, famulaeque, ac denique ipsorum etiam subditi, conantur, adnitanturque idem iuris, quod eorum habent superiores, sibi ipsis quoque asserere, usurpareque.

DE CAUSIS INIURIARVM, QVAE CORAM  
ecclesiastico ventilantur iudicio.

Tandem, si quando ex facto euenit, ut ecclesiasticus contra laicum iniuriarum agere, illatas forte verbo iniurias, intendat, conatur ecclesiasticus iudex eas ipsas quoque suae iurisdictioni vindicare causas, quo denuo reus iudicio conuentus, ordinario iuri suaeque eripitur atque eximitur iurisdictioni.

QVEMADMODVM CAUSAE PROPHANAE OB  
interposita iuramenta, ecclesiastico tribunali asserantur.

Insuper & id praesumunt officiales, si quando in causis prophanis, ac inter personas ecclesiae minime sacras, dicatae, sed omnino laicas, data fide, seu praestito iuramento, verbo, vel in scriptis, pacta, obligationes, contractus, vel promissiones factae sint, vel celebrataeque eam ob rem, atque huius praetextus ratione, tales prophanas, laicaeque causae coram ipsis potius, quam ordinario iudice agitari debeant: quae noua ecclesiasticorum techna vsu si increaseret, ac diutius toleraretur, iam actum foret de ciuili causarum auditorio, quod omnes prophanas ciuilesque causas, contractuum atque transactionum, hac via necessario ad ecclesiasticos pertraherentur. Quis enim contractus, quae transactio, quae denique inter paciscentes conuentio, quae non sit solenni ita stipulatione, aut promissione vallata? Illac nimirum rerum veniremus, ut in totum ciuilia eluderentur iudicia. Quod nedum contra aequitatem ipsam, contra omnia iura scripta, sed & ciuili magistratui intolerabile foret. Nam ut demus hoc interim ecclesiasticis iudicibus de periuicio commisso, notionem ut habeant: nihilo magis per id causae ipsius principalis, contractus puta, aut transactionis, quam ob rem ille peierauit, iudices competentes erunt, quin periuros illos ob religionis transgressionem manifestariam